

Bohdan Jankowski

Regnum venturum quod adest

Collectanea Theologica 25/1-2, 147-161

1954

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

BOHDAN JANKOWSKI

REGNUM VENTURUM QUOD ADEST

De genuino sensu eschatologico, quem nonnulla „logia“
Matthaeana de Regno Dei prae se ferunt

Primi Evangelii „logia“, in quibus terminus: ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν vel rarius: ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ occurrit, in tres classes facile dividuntur. Quarum una eos textus complectitur, in quibus Regnum (seu potius: regimen Dei!) tamquam realitas iam praesens exhibetur, v. gr. Mt 3,2; 11,1 sq; 12,38; cf. Lc 11, 20; 17,21. Altera eodem termino Regnum Dei eschatologicum designat, v. gr. Mt 13,43. Tertiam denique hi loci constituunt, de quibus haud facile statim discernas, utrum Regnum in aevo, quod nunc est, an in venturo demum an in utroque simul sit collocandum.

Ultima classis illa magni est momenti ob duas praecipue rationes. Primo — si loci illi evangelici subiiciuntur examini diligentiori, terminus „Regni Dei“ non ita parum elucidatur. Quod quidem ad investigationes apologeticae recentioris simulque theologiae biblicae Novi Testamenti multum videtur conferre. Secundo — examen tale, quanti reapse elementum eschatologicum in primitiva catechesi valeat necnon qualis sit eiusdem elementi sensus genuinus, aestimare nos sinit.

Tertia haec classis decem Matthaeanos continet locos, quibus edisserendis nunc operam dabimus et ita quidem, ut semper instituamus quaestionem, in quonam stricte aevo oeco-

nomiae salutis Regnum Dei, in ipsis laudatum, a nobis sit reponendum. En loci ipsi: Mt 5,3.10; 5,19sq; 6,10; 6,33; 7,21; 19,14; 19,23sq; 25,34.

Mt 5,3.10 *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est Regnum caelorum.*

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est Regnum caelorum.

Uterque locus prius considerandus est ut pars illius toti, quod nomine octo beatitudinum seu macarismorum nuncupari solet. Ratione habita remotioris Primi Evangelii contextus macarismi hi, utpote sermonis Iesu montani exordium sollemne, dicendi sunt continere veluti programma quoddam totius Iesu praedicationis, cuius pars potissima Regno caelorum adumbrando destinatur.

Initiales μακάριοι respondentes hebraeo a š e r e (i), in sapientum sententiis frequentissimo, beatitudinem eorum exprimunt, qui singula doctrinae Iesu elementa vitae moribusque inducunt. Quae quidem beatitudo non secus profecto interpretanda est quam medium quoddam, quo perfecta beatitas finalis attingatur ¹⁾.

Nunc uno oculi ictu illud totum, quod octo efformant beatitudines, complectamur. Una ex parte conspicitur quasi tabella quaedam exigentiarum, quas implere eos oportet, qui Iesum sequi volunt. Altera vero in parte praemia enumerantur, sine quibus soli macarismi utpote paradoxa intellegi vix possint. Nam si humano prorsus modo res aestimemus, homines pauperes, flentes, persecutionibus obnoxios numquam sane beatos seu felices esse proclamemus! Exigentiae hae omnes unum quid constituunt, quod facile Scholasticorum formula contineri potest: „aversio a creatura et conversio ad Deum“. Si igitur parallelismo in hisce macarismis iustus datur locus,

¹⁾ „...pas encore le bonheur parfait, mais un moyen d'y parvenir“. A. DURAND, Évangile selon St. Matthieu, Paris ³³ 1948, 65.

morito supponi potest et alterius partis tabellam u n u m quid exhibere. Et profecto est ita. Nam etsi praemia alio atque alio modo heic nuncupantur, unam tamen eandemque rem certo designant, rem utique ordinis supernaturalis, quam Iesu sequaces adepturi sunt. Duobus locis, et quidem versibus 3-0 et 10-0 a nobis examinandis, res illa termino biblico frequentissimo „Regni caelorum“ nuncupatur, semel vero nomine „terrae“ (v. 5-0) ¹⁾. Cetera autem praemia macarismis promissa, videlicet: solatium, saturatio, consecutio divinae misericordiae, visio Dei, dignitas filiorum Dei — sunt bona huius Regni propria — vel ut nunc dici solet — eiusdem Regni varii „aspectus“.

Oritur nunc quaestio, quandonam Regnum illud expectetur. Primo obtutu hae notiones: solatium, „terra“, saturatio, visio Dei — insinuant retributionem eschatologicam, nam aevo, quod nunc est, perfecto saltem modo praemia illa obtineri non possunt. Sed alio modo huic quaestioni respondebimus, si parallelismi utriusque tabellae rationem habuerimus iustam. Et ita quidem: exigentiae proculdubio respiciunt hanc vitam terrestrem et ideo statim obligant utpote elementa doctrinae Iesu de novae vitae ratione, quae vita heic et nunc instituenda est. Certo cogitari possit talis ratio vivendi, quae totum praemium demum aevo venturo nanciscatur. At talis ratio vitae et praemii a Iesu mente prorsus est aliena. Quod vel ex his patet:

1) Macarismus enim hebraeo modo voce *a š e r e (i)* expressus non tantum beatitatem futuram et remotissimam exoptat cui-libet, sed pertinet ad indolem alicuius personae moralem. In Novo enim Testamento saepe *μακάριοι* praedicantur hi, quos speciali quodam modo oeconomia Dei salvifica attinet, v. gr. Maria, Iesu Mater (Lc 1,45.48; 11,27), Petrus (Mt 16,17), discipuli Iesu (Mt 13,16), testes vitae Iesu (Lc 11,28). Quorum om-

¹⁾ „Terra“ ista in oculis Palaestinensium est terra promissionis tamquam typus futuri regni messianici, praesertim aevo eius ultimo. Eodem sensu dicitur: „sed mansueti possidebunt terram et delectabuntur multitudine pacis“ Ps 36 (37), 11. Cf M. MEINERTZ, *Theologie des Neuen Testaments*, Bonn 1950, 1, 39.

nium beatitudo una cum aevo messianico iam inchoata est, at nondum ad finem perducta. Quapropter beatitudinis caelestis praegustatio quaedam merito censi potest.¹⁾

2) Textus ipse aevum praesens haud obscure nobis insinuat. Non parvi enim momenti est haec differentia: dum cetera praemia tempore verborum futuro exprimuntur, illi soli duo versiculi, qui terminum „Regni caelorum” continent, exhibent tempus praesens: ἐστίν. Ne quis dicat obliterari in lingua κοινῆ differentiam inter tempus praesens et futurum, quod sane ita est, nam Graecus evangelii aramaici interpretis vel iam antea catecheseos oralis ἐρμηνευτῆς tali in contextu, usurpando varia tempora, Iesu mentem genuinam hac notabili distinctione certo voluit exprimere²⁾.

Nunc vero singulas has propositiones diligentiori subiciamus examini, quo melius quaestioni principali respondeamus.

Logion Mt 5,3 de pauperibus spiritu ob similitudinem materiae tractandae cum sententia, quae spirituales laudat infantiam: Mt 19,14 (cf. Mc 10,14; Lc 18,6), merito solet conferri a commentatoribus. Logion istud, de quo infra fusius tractabitur, non alio modo concipiendum est quam condicio intrandi in Regnum Dei iam praesens³⁾. Pari ratione intelligenda est et haec condicio, quam implent pauperes spiritu.

Non secus macarismus Mt 5,10, qui de persecutionem patientibus agit, seorsim consideratus aevum Regni congruum sinit nos detegere. Interpretandi clavis haec est terminus „iustitiae”. Qui in forma tum substantivi tum adiectivi indolem denotat eorum, qui Deo sunt cari propter mores. Cum vero iustitia haec — ut infra peracto textus Mt 6,33 examine patebit — quodammodo aequiparetur cum ipso Regno Dei, ideo et in versu 10 sermo est non tantum de Regno escha-

¹⁾ Cf. M. MEINERTZ Theologie des NT, op. cit., 1, 51.

²⁾ Cf. ibidem 1, 37.

³⁾ Cf. J. BONSIRVEN, Les enseignements de Jésus-Christ, Paris⁸ 1950, 171 ad 1.

tologico retributionis, sed, etiam, et quidem primo loco, de aevo eiusdem Regni adhuc persecutionibus obnoxio¹⁾).

Quibus omnibus perpensis opinioni, secundum quam macarismi non modo sunt promissiones aeternae felicitatis, verum etiam „condiciones intrandi“²⁾ in Regnum Dei iam praesens simulque condiciones recte in hoc Regno vivendi, facile sub-
scribimus. Hoc Regnum utique eodem modo intellegendum est, quem innuunt nobis haec logia: „Appropinquavit“³⁾ enim Regnum caelorum“ (Mt 3,2) et „Ecce enim Regnum Dei intra vos (ἐν τὸς ὑμῶν) est“ Lc 17,21).

Mt 5,19sq *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno caelorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in Regno caelorum. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in Regnum caelorum.*

Simul heic proponuntur sententiae quidem pariter de Regno caelorum loquentes, at strictus nexus logicus inter eas videtur deesse. Quarum una est conclusio totius sermonis praecedentis de immutabilitate Legis et propterea ad legisperitos pertinet. Altera vero videtur esse fundamentalis quaedam condicio intrandi in Regnum caelorum et idcirco quemlibet candidatum obligat. Haud facile item primo obtutu Regni caelorum utrobique memorati veram invenias indolem temporalem.

Textus prior de eo, quisnam sit maior minorve in Regno enuntiat. Cui satius est comparare de Ioanne Baptista a Iesu prolatam sententiam: „qui autem minor est in Regno caelorum, maior est illo“ (Mt 11,11, cf. Lc 7,28). Heic tempus praesens

¹⁾ Cf. J. BONSIRVEN, Les enseignements..., op. cit., 145.

²⁾ „Eintrittsbedingungen“ M. MEINERTZ, Theologie..., op. cit., 1, 98.

³⁾ ἤγγικεν! — ubi insistendum est tempori p e r f e c t o, utpote genus actionis exprimentis. Quod hoc fere modo enarrari potest: Regnum Dei hoc modo advenit, ut stabiles ipsius effectus usque hunc diem videantur.

adhibetur et sermo fit de Praecursore adhuc vivo. Quam ob rem et Regnum caelorum hoc loco intellegendum est iam existens.

Similiter interrogant discipuli. „Quis, putas, maior est (ἐστίν) in Regno caelorum?“ (Mt 18,1). Interrogatio rursus tempore praesenti exprimitur, non futuro. Non aliud tempus in responso occurrit: „Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est (ἐστίν) maior in Regno caelorum“ (Mt 18,4). Si locos parallelos Mc 9,33—35 et Lc 9,46—48 consulamus, statim apparet, quaeenam fuerit tunc temporis totius quaestionis origo, ambitio videlicet discipulorum obtinendi gradum superiorem in societate a Iesu condita.

His consideratis omnino licita evadit conclusio, quae sententiam Mt 5,19 intellegit non solum de suprema retributione pro diligentia in Lege interpretanda, sed etiam, et imprimis, de criterio quodam dignoscendi, quanti iam nunc valeant Legis magistri, qui in Iesu societate munere hoc funguntur¹⁾ Logion istud iure meritoque ad Christianos Legisperitos applicandum est²⁾.

Logion Mt 5,20 optimo iure commentatores inter „eloquia de introitu“ (Eingangssprüche) recensent. Comparandi gratia igitur similes sententias quaeramus necesse est, eas nempe, ubi condiciones intrandi in Regnum enumerantur. Maximam — ni fallor — lucem affere nobis potest comparatio cum infra tractando eloquio de infantia spirituali. Cum ibi — ut mox videbimus — de aliqua iam existenti realitate agatur, eadem ratione et in nostro textu „maior abundantia iustitiae“ non tantum designat condicionem adipiscendi beatitudinem aeternam, immo vero condicionem intrandi in supernaturalem Iesu societatem iam vigentem³⁾.

¹⁾ Cf. J. BONSIRVEN, *Les enseignements...*, op. cit., 305.

²⁾ Ita v. gr. A. DURAND, *Évangile sel. St Mt*, op. cit., 80.

³⁾ „Le Maître vient de dire qu'une „justice“ égale à celle des Scribes et Pharisiens ne donne pas droit à une place de choix dans son Royaume; maintenant il ajoute qu'elle ne suffit pas même à y introduire“. A. DURAND, *Év. sel. St Mt*, op. cit., 80.

Mt 6, 10 *Adveniat Regnum tuum!*

Petitio haec perfecto modo impleri potest aevo ultimo et quidem eo sensu, quod voci „regni“ notio *r e g i m i n i s* potius substituatur ¹⁾. Hoc enim regimen recte dici potest „advenire“. Attamen totus orationis Dominicae contextus Regnum Dei sensu eschatologico rigido heic admittere proculdubio nos vetat: praesens aevum prorsus excludi nequit. Nam pars orationis altera agit de huius vitae necessitatibus, et quidem tam clare, ut etiam „hodie“ expresse nuncupetur. In textu vero nihil est, quod innuat illud „hodie“ rigido modo opponendum esse aliquo „cras“ arcano et eschatologico. Cum vero oratio Dominica totum quid bene conclusum efformet, ergo et haec petitio de adventu Regni intellegenda est attinere illa bona, quae nomine Regni Dei iam incepti veniunt ²⁾.

Idem recta sequentis petitionis explicatione plane confirmatur. „Fiat voluntas tua“ non tandem aliquando, nam homines his in terris voluntatem Dei facientes ad instar Caelitum numquam defuerunt ³⁾. Sed hac petitione poscitur *c o n t i n u u s* in hac Dei voluntate facienda progressus ex parte eorum, qui libero pollent arbitrio. Pari modo, ut *g r a d a t i m* adveniat Dei regimen petitur antea. Utraque petitio mirum in modum reciproca est et ambae plena luce illustrantur demum admissa tali notione Regni seu regiminis Dei, quae aevum praesens et futurum apte componat.

Mt 6, 33 *Quaerite ergo primum Regnum Dei et iustitiam
Eius (αὐτοῦ i. e. Dei) et haec omnia adiicientur vobis.*

Recta huius loci interpretatio duo in lucem proferat oportet, quae magni sunt momenti: 1) adhiberi heic verbum *q u a e r e n d i*, 2) conferri inter se Regnum Dei et iustitiam Dei. Quaerere *ζητεῖν* ex sese actuosum quoddam conamen

¹⁾ Cf. A. DURAND, *Év. sel., St Mt, op. cit., 106.*

²⁾ Cf. M. MEINERTZ, *Theologie..., op. cit., 1, 37.*

³⁾ Cf. A. DURAND, *ibidem.*

denotat ¹⁾. Si igitur Regnum Dei hoc loco acciperetur sensu eschatologico rigidiores, omnino ineptum videretur mandatum quaerendi, sed potius dixisset Iesus: „Expectate!“ Morale enim conamen, etsi minime aevum eschatologicum excludat, immo vero supponit tamquam finem, at prae primis aevum praesens respicit.

Iustitia vero Dei haec quaerenda, si totus respicitur contextus, ubi de nimia rerum temporalium sollicitudine vitanda agitur, nihil aliud potest designare nisi hominis perfectionem moralem a Deo Rege Maximo praeceptam ²⁾. Quae quidem iustitia est simul via et finis, simul exigentia et gratia. Praeterea vel intime cum tota vitae moralis ratione a Iesu proposita conectitur, ut ex macarismis luculenter patet ³⁾.

Cum autem ambo termini: Regni et iustitiae iuxtaponantur, aequiparandi censentur a nonnullis, et quidem optimo iure ⁴⁾. Logion totum hoc fere modo verti potest in paraphrasin: „Quaerite Regnum in iustitia secundum Deum consistens“. Et hoc igitur loco Regnum Dei ut aliquid iam existens censendum est exhiberi.

Mt 7, 21 *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in Regnum caelorum.*

Iam primo obtutu Regnum caelorum haec intellegendum esse apparet sensu eschatologico. Nam et contextus proximus eandem innuit significationem. Versus enim 22 et sequens de suprema praemiorum poenarumve distributione manifeste loquuntur, quod vel ipso termino „in illa die“ inculcatur. Si

¹⁾ „Habere seu nancisci studeo“ Fr. ZORELL, Lexicon Graecum NT., Parisiis² 1931, s. v. ζῆτέω.

²⁾ Cf. A. DURAND, Év. sel. St Mt, op. cit., ad loc.

³⁾ Cf. M. MEINERTZ, Theologie., op. cit. 1, 42 sq.

⁴⁾ Cf. J. BONSIRVEN, Les enseignements..., op. cit., 145.

igitur nexum hunc aestimaverimus primitivum, proculdubio eundem sensum eschatologicum tribuimus et priori sententiae. Num tamen mere et exclusive eschatologicum sensum prae se ferat hoc loco Regnum caelorum, merito licet dubitare. Haec enim consideremus oportet, quae alibi simili ratione proponuntur. Itaque optimo iure textus noster a commentatore clarissimo ¹⁾, qui ceterum ipse hoc loco sensum accipit eschatologicum, cum his Pauli verbis confertur: „Non enim in sermone est Regnum Dei, sed in virtute“ (1 Cor 4,20). Apostolum vero loqui heic de aevo praesenti, nemo est, qui non videat. Si igitur vere parallelum aestimamus utrumque textum, et in nostro casu satius est latiore sensum Regni admittere, talem nempe, qui huius vitae tempus includat.

Deinde animadvertere iuvat ambas propositiones, quae apud Mt 7,21 sq iunctim prostant, separatas exhiberi apud Lucam et alii prorsus contextui insertas. Priorem videlicet eo modo refert, in sermone utique montano: „Quid autem vocatis me Domine, Domine: et non facitis, quae dico?“ (Lc 6,46). Quae quidem sententia certo illius temporis carpit vitium, quando docuit Iesus turbas, minime vero spectat iudicium supremum. Alteri vero sententiae dat locum in contextu proculdubio eschatologico: Lc 13,26sq. Si insuper consideramus sermonem montanum initium fuisse quodammodo Iesu praedicationis magistralis ideoque adumbrationem demum continere Ipsius doctrinae, interpretationi Lucanae potius favendum nobis videtur. Agitur hoc loco de facienda Patris voluntate tamquam condicione intrandi in Regnum caelorum iam a Iesu promulgatum. Quae quidem interpretatio a contextu Mt minime discrepat. Neque adeo strictus videtur nobis nexus logicus versusum 21 et sequentis apud Mt, ut solet a commentatoribus exhiberi. Quod cum ita sit, nec huic loco sensum exclusive eschatologicum tribuendum esse putamus ²⁾.

¹⁾ Or. A. DURAND, *Év. sel. St. Mt.*, op. cit., ad loc.

²⁾ Elementum „dynamicum“ Regni in vita praesent vigena his verbis adumbrari merito censet M. MEINERTZ, *Theologie...*, op. cit., 1, 30.

Mt 19, 14 *Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire. talium est enim Regnum caelorum.*

Ipsa huius declarationis brevitatis, ut sensus eius simplicium textuum comparatione illustretur, postulare videtur. Est enim comparatio vel maxime in se compacta et quidem eo modo, ut idea illustranda et ipsius imago in unum quid coalescant¹⁾. Itaque textus hic a commentatoribus merito confertur cum illa beatitudinis montana, quae „puros corde“ laudat (Mt 5,8), et cum condicione intrandi in Regnum facta conversione ad instar parvulorum (Mt 18,3). Cui sententiae examinandae incumbamus oportet. Eadem atque in nostro textu latet condicio: τῶν γὰρ τούτων multo clarius quam vox Latina „talium“ insinuat aliquod „tertium comparationis“. Quod haec videtur esse simplicitas fiduciaque infantium erga parentes. Haec vero indoles animi apud fideles, etsi omnino digna sit retributione eschatologica in Regno futuro, nihilominus haec videtur potius esse condicio praevia admittendi in Regnum Dei iam vicens. Simplicitas enim atque fiducia requiritur haec in homine, qui iam nunc novam vivendi rationem secundum huius Regni normas perdifficiles vult instituire. Ingeniose hos locos de parvulis tractantes R. P. Bonsirven locutioni rabbinicae „suscipiendi iugum Regni caelorum“ aequiparat, quae moralem hominis erga doctrinam quamlibet denotat submissionem. Et reapse talis submitio facillima est parvulis. Et hoc sensu Regnum caelorum iam ipsis vel fusius loquendo: illorum similibus — patere declaratur²⁾.

Proinde si textui huic sensum condicionis, et quidem non ita facilis attribuimus, condicionem ipsam praesens Regni

¹⁾ Cf. J. BONSI RVEN. Les enseignements..., op. cit., 26 ad 1.

²⁾ „Notons équivalence d'une de ces propositions avec l'expression rabbinique: «recevoir le joug du Royaume du ciel»: dans les deux cas il s'agit de se soumettre à une doctrine: point de vue moral. A cette fin la disposition la plus favorable est celle enfants: à ce titre, le royaume leur appartient". Ibidem, 306.

aevum respicere necesse est. Quo minime praemium aeternum pro hac indole excludimus.

Mt 19, 23 sq *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum caelorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum caelorum.*

Ad discernendam quaestionem, de quonam Regni aspectu heic agatur, contextum praecedentem examinemus oportet. Uterque versus excipit illam de iuvene opulento narrationem necnon gradatim inculcat difficultatem — utique moralem — quam divitiae facessere solent. Nexus pericopes cum sententia vividissimus est: tristis nempe colloqui cum Iesu exitus occasionem dat Magistro pronuntiandi gravem utroque versu expressam sententiam.

Interrogatio iuvenis in colloqui prooemio retributionem finalem — „vitam aeternam“ proculdubio respicit. Responsum deinde Iesu aliud synonymum usurpat, videlicet „ingrediendi in vitam“ — certo aeternam, sed statim exponit condiciones iam nunc observandas, i. e. normas morales, quae divinis praeceptis continentur. Deinde sequitur perfectionis adipiscendae condicio difficillima, item iam nunc accipienda. Cuius condicionis implendae iuvenis ille omnino imparem se praebet. Ecce cur prolata sit haec Iesu sententia.

Quale igitur Regnum attinet? Initio colloqui illius certo certius sermo est de praemio eschatologico assequendo. At non exclusive — ut videtur. Si enim ageretur de caelesti tantum praemio adipiscendo, cur iuvenis denuo interrogaret: „quid mihi deest?“ Iam servavit mandata, iam item novas sibi et quidem magis arduas exoptat condiciones, „ut in vitam intret“. Cui novo desiderio respondet Iesus prompto consilio. Nam sui ipsius societatem iuveni offert, quod venditis antea possessionibus fieri potest.

A nonnullis inculcatur — et optimo quidem iure — in nostro textu vox *i n g r e d i e n d i*, occurrens item in

Mt 5,20 et 18,3, quae societatem quandam insinuat. ¹⁾

Sed et contextus subsequens huic interpretationi favet manifeste. Sententia de divitibus prolata a Magistro excitat Petrum, ut discipulorum nomine de retributione Ipsum interroget, quam discipuli consecuturi sint pro omnibus suis rebus derelictis. Responsum Iesu (v. 28 sq) excipit parabola de operariis in vineam missis. Cuius parabolae doctrina principalis secundum sobria huius generis litterarii principia exegetica in eo est, ut non tam caelestis praemii inaequalitatem inculcet, quam potius liberalitatem Dei illustret. Quae liberalitas ad eos pertinet, qui nuperrime demum conversi a vita peccaminosa, nihilominus in Regnum Dei iam a Christo institutum admittuntur ²⁾.

Quod si ita est, in textu nostro Regnum caelorum societas iam existens, ad quam amplectendam frustra invitantur divites rerum terrenarum amatores, videtur intellegendum. Hoc modo a Regno, quod nunc inchoatum est, exclusi consequentur etiam repulsionem a ianua Regni in aevo futuro. Uterque aspectus igitur Regni dicendus est heic includi.

Mt 25, 34 *Tunc dicet Rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi.*

Sententiae huius contextus proculdubio sensum suggerit eschatologicum. Filius enim hominis tamquam Rex ultimam retributionem heic perficere enarratur. Attendendus est tamen hoc in textu usus vocis Regni in ore Supremi Iudicis. Regnum nempe sine ulla determinatione ulteriore exhibetur, utputa „Dei“ aut „caelorum“. Talis usus — ut ita dicam — absolutus termini ἡ βασιλεία (cum articulo!) non semel occurrit. Omnes igitur saltem Matthaeani loci, in quibus hoc modo adest, nunc

¹⁾ Cf. J. BONSIRVEN, *Les enseignements...*, op. cit., 323.

²⁾ Cf. D. BUZY, *Les Paraboles*, Paris¹⁶ 1948, 323.

sunt nobis considerandi, ut genuinum vocis Regni sensum expiscari valeamus.

„Evangelium Regni“ (τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας) bis apud Mt usurpatur: 4,23; 9,35, in simillima de Iesu locutione, qui utrobique „Evangelium Regni praedicans“ inducitur. Tertio autem adest in „apocalypsi synoptica“ (Mt 24,14), ubi praedictio evangelii Regni in universo terrarum orbe fore vaticinatur. Omnibus his locis Regnum una cum verbo κηρύσσειν occurrit, seu aliis verbis: bonus de Regno nuntius τὸ εὐαγγέλιον in sensu magis primitivo) obiectum fit sollemnis promulgationis, factae tum ab ipso Iesu et quidem iam inde ab exordio missionis Eius, tum faciendae a futuris, etiam aevo eschatologico, Eius praeconibus. Terminus parallelus est ὁ λόγος τῆς βασιλείας (Mt 13,19), qui „doctrina de Regno“ vel recentiore modo „Regni programma“ verti potest.

Sequuntur duo loci, in quibus terminus „filiorum Regni“ adest (Mt 8,12; 13,38), quo Regni aspectus socialis adumbratur facta allusione ad Veteris Testamenti Israëlem — „filios promissionis“ veluti heredes Regni theocratici legales ¹⁾).

His omnibus consideratis legitima videtur haec conclusio: quando absolute apud Mt usurpatur vox ἡ βασιλεία tunc latissimum induit sensum et ita quidem, ut in unum coalescat cum historicus tum socialis Regni aspectus. Regnum igitur inchoatum in divina oeconomia terrestri continuatur aevo eschatologico.

Quam ob rem in textu Mt 25,34 sermo fit de Regno, quod iam ultimum suum stadium manifestat, sed simul perfecto modo stadium antecedens seu terrestre continuat et nihil aliud est, quam totius divinae oeconomiae salvificae, ab aeterno constitutae, fausta consummatio. Continuatio haec vel optime verbo κληρονομεῖν inculcatur. Paulina enim illa ratiocinatio (Rom 8,17) heic inverso modo applicari potest: si heredes Regni, ergo antea eiusdem Regni „filii“. Intima haec continuatio vel

²⁵⁾ Cf. J. BONSIRVEN, *Les enseignements...*, op. cit., 61.

exinde clare apparet, quod ipsa hereditas rationem prae se fert praemii pro merito, strictius: pro praecepto caritatis fideliter hac in vita observato ab electis. Quod quidem praeceptum non solum est constitutivum quid societatis a Christo conditae, sed nostro in textu profundissimum suum principium theologicum pandit. Nam substitutio illa ipsius Christi, Regis Summique Iudicis, pro unoquoque ex „his fratribus minimis“ (Mt 25,40.45) conferenda est cum hoc Iesu eloquio: „Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit Eum, qui me misit“ (Mt 10,40 cf. Lc 10,16). Huius identitatis alia ratio excogitari nequit nisi arcana unitas Capitis et membrorum, quae in Corpore mystico viget. De qua unitate idem prorsus loquuntur ipsius Corporis imagines Paulinae necnon Iohannea allegoria vitis et palmitum. Haec fontium diversitas, eadem manente doctrina fundamentali, varia deinde ratio temporis in conscribendis singulis fontibus, ad Iesum ipsum eiusque magisterium vitae publicae reduci iubent hanc doctrinam de intima Regni Dei natura.

Breve hoc examen exegeticum nonnullorum textuum Primi Evangelii de Regno caelorum loquentium haec fere manifestavit: 1) primo quidem obtutu non ita facile respondetur, in quonam aevo, utrum in eo, quod nunc est an futuro, collocandum sit Regnum; 2) incertitudinis huius initialis ratio non in eo reponenda est, quod terminus ipse sit vagus vel sensus singulorum locorum ambiguus, sed in hoc, quod idea hoc termino designata reapse est „analogica et transcendens, ingeniosa et plus quam ingeniosa — divina“¹⁾. Est — ut ita dicam — significationibus praegnans; 3) Regnum Dei aequo iure extenditur tam ad praesens aevum — et tunc est societas a Iesu constituta, quae certum iugum doctrinae et vitae normarum imponit sectatoribus, quam ad „vitam venturi saeculi“, quando Regnum Dei perfecto modo apparebit; 4) huius admirabilis extensionis ratio intima est arcana quaedam identitas Iesu Christi et Regni. Quod quidem iam antiquissimi scriptores

¹⁾ Verba sunt E.-B. ALLO, Paul — Apôtre de Jésus-Christ, Paris (1949) 119.

Christiani penitus perspexerunt. Recte dixit Tertullianus: „In evangelio est Dei regnum Christus ipse“¹⁾. Cui mysterio exprimendo aptissimum invenit vocabulum Origenes, qui Iesum Christum ἀδοβασιλείαν designare non dubitavit²⁾.

¹⁾ Adv. Marc., 4,33 ML 2.442 CV 47,533.

²⁾ Cf. In Mt comm, 14,7 MG 13,1197.